

8044

1764, 11.

S P E C I M E N
IVRIS C O N T R O V E R S I
QVATENVS
P R O L O N G A T I O D E B I T I
M O R A M P V R G E T
E T L I B E R E T A P R A E S T A N D I S V S V R I S
Q V O D
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
P R O F E S S O R . P V B L I C . O R D I N . I V R . N A T . E T G E N T .
E T S O C I E T A T . L I T E R . D V I S B V R G . S O C I O .
I N A V D I T O R I O P E T R I N O
D I E I . A V G V S T . A N N O C I C I C C L X I V .
D E F E N D E T
C A R O L V S G O T T H E L F F I S C H E R
R V H L A N D . L V S A T .

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

APPLICATIO
IURIS CONTRARIOE
STATUTIS
PROLONGATIO DEBETI
MOMENTI FUGITIVI
ET PFERD A TRAVESTIMENTIS ASYLIS
CENSUS
PERPETUA ICIUS ET ORBIS GRATIA
CHRISTIANO HENRY BRUNNING
DE TERRITORIIS ET TERRITORIIS
AD ALIAS CIVITATIBUS
DETINENDIS
CAROLAS GOTTHILF RICHE
LIPSIAM
EX EDITIONE IMPRENTARIA
1781



QVATENVS
PROL O N G A T I O D E B I T I
MORAM PVRGET
ET LIBERET A SOLVTIONE VSVRARVM.



§. I.

*V*ix est, vt singulorum verborum pariter atque materiarum, quae *rubro*, vt vocant, continentur, commentarium exhibeamus. Breuitas libelii, qui plagulam vnam vix excedere debet, haec omnia comprehendere nequit. Satis erit, si ea tantum praemittamus, quae ad intelligendam quaestione ipsam facere videntur.

§. II.

Moram dicunt culposam praefestationis aut facti debiti intermissionem, quam aequa creditor ac debitor suo modo

A 2

com-



committere potest. Inter *effectus* commissae morae numeratur, quod, si a creditore committatur, periculum in se conuertat, si vero a debitore, quod ad vsuras, seu id quod interest teneatur. Facile patet, pro ratione debiti, scilicet, si vel in facto consistat, vel in datione rei, vel in soluendis nummis variam esse rationem debere illius quod interest. Haec omnia non enarrabimus, quae ad scopum nostrum non spectant, dixit aliqua *Aemil. FERRETTVS Tr. de mora et cocceii diss. de mora.* Dicamus de debiti tantum pecuniae numeratae mora a debitore contracta.

§. III.

Neque iam litem meam faciam, an vsurae ex mora debeantur tantum in bonae fidei negotiis, non aequa in stricti iuris. Vulgo putant iure veteri in *bonae fidei* negotiis statim a tempore contractae morae exigi potuisse vsuras, contra in *stricti iuris* negotiis demum a tempore litis contestatae, vt habet *PEREZ. in C. de vsuris. n. 28.* Elegantiora in hac causa habet *Gerh. NOOD* in *Tract. de Vsuris et Foeno-re L. II.* Satis est, in fori causis omnia negotia ex bona fide diiudicari: Imo alit hanc sententiam forum, ex mora deberi vsuras ad legitimam quantitatem in iis negotiis, quae quondam stricti iuris fuerant loco illius, quod interest, vt est apud *CARPZOV. Iurispr. forens. Part. II. Conf. 30. def. 8.*

§. IV.

§. IV.

Neque opus iam erit, vt quid sit: *moram purgare*, longa oratione persequamur. Quem enim fugit, tunc moram emendari, si remoueat imputatio negligentiae in non praefito facto vel non soluto debito. Non quidem dissentio, interdum, etiamsi nulla interueniat mora, ex sola, vt videtur aequitate visuras exigi posse, qualem causam habet FERRETTVS cit. lib. n. 42. Sed haec obseruatio non ad nostrum thema. Iam ad ipsam rem proprius veniamus.

§. V.

Tempus, quo mora incipit, est solutionis terminus, vel conuentione sit statutus, vel interpellatione. Quod si ergo in debito nummario debitor iusto tempore non soluit, quod vel sibi ipsem posuit consensu suo, vel quod post factam rite interpellationem a creditore statutum est, moram recte contraxit. Si autem efficit debitor, vt statu solutioni termino soluere vel non debeat, vel solutionis non factae negligentia remittatur, recte moram purgauit; quod variis causis fieri poterit; vel si creditor morosus in accipiendo, vel remiserit conuentione contractam moram, vel si alium et remotiorem soluendi terminum partes conuentione comprobent, vel nouatio quaedam interueniat, et aliis modis. Maxime nostrum est de hac specie differere quam nouus solutioni praefinitur terminus, quam *prolongationem* vulgo vocant.

A 3

§. VI.

Haec ipsa prolongatio vii quidem mihi videtur dupli-
cem habere potest formam. Aut enim sit debito non solu-
to et iam praeterlapso termino solutioni praefinito, aut sit
antequam terminus solutioni statutus praeterierat. Quod
ad priorem speciem pertinet, simulac solutionis terminus
praeterit, mora contracta est: neque tunc ex fori opinione
dubitari poterit, vsuras recte peti posse. At quid iuris: si
creditor postea consentiat, ut tardius nouo statuto solutioni
termino, debitor soluat? (dicas prolongationem debiti)
Eritne tunc quoque mora purgata? si dicendum, quod res
est, nullum mihi videtur dubium, hac apposita distinctione
item posse componi. Sicuti enim tota quaestio de eo
tantum themate agit, vbi usurae in mutuo promissae non
sunt, ita facile cognosci potest, ex declaratione in ipsa pro-
longatione facta debiti, an sibi creditor seruauerit usuras,
an vero expresse remiserit. Quod si enim expresse serua-
uerit in prolongatione concedenda, recte videtur prolongatio
conditionata, si scilicet usuras mora iam contracta de-
bitas sit soluturus, sin vero expresse remiserit, quis negabit
creditori ius remittendi usuras. At si nihil in prolonga-
tione ipsa dictum sit, hoc est, si neque reseruatae usurae
neque remissae sunt? Arbitror et hoc casu recte usuras peti
posse, non obstante prolongatione. Si enim verum est, ab
eo tempore, quo solutio praestanda, si ea secuta non sit,
moram contraxisse debitorem, sicque ad usuras soluendas
obligatum esse, facile colligitur, iam ab eo tempore usura-
rium factum esse debitum. Dabimus nunc, elapsu iam spa-
tio,

tio, cum a creditore interpellatur debitor de solutione, nimirum velit iudicis auxilio cogi, hunc ipsum precibus a creditore impetrare, ut nouum solutioni spatium definiat, quo certo sit soluturus. Nemo non videt creditorem consentire in prolongationem ut vocant debiti in ea conditione, in qua est tempore concessae prolongationis, hoc est debiti cum usuris, quae iam debebantur.

§. VII.

Neque tamen haec semper ita obseruari posse arbitror, potius aliter erit sentiendum, si elapsa solutioni praecepsito spatio debitor ad soluendum paratus sit, mora vero creditoris impediatur, quo themate usurarium debitum factum non est. Quare si postea illud debitum vel petente debito-re, vel ex voto creditoris alium solutionis terminum obtinebat noua conventione, cum tunc mora nulla praecedat, neque ad usuras tenetur debitor, sola illa prolongatione interposita, nunquam ad usuras soluendas condemnabitur. Cessante enim causa, cur ad usuras teneatur obligatus debitor, recte quoque cessabunt ipsae usurae. Neque obstat, quod prolongatio debiti videatur suscipere in se moram continere. Quod per se falsum est, quippe interpositus nouus et creditoris et debitoris consensus in statuendo novo solutioni termino, id efficit, ut prior statutus solutionis terminus nullus declaretur, ut adeo mora contrahi non potuerit. Et forsitan aliquo modo hic referri posset argumentum quod latet in fragmento VLPIANI L. 21. π. de Usur. et fruct.

iuncta

VIII



iuncta L. 22. n. eod. in quo posteriori fragmento praecepue
PAVLVS caufam morae eam quaerit, quae in *defraudatione*
aliqua consistit. Quis vero eum qui paratus fuerat ad fol-
uendum et cum quo creditor nouam conuentionem bona
fide contrahit de prorogando termino, imo si in suam cau-
sam ipfemet creditor prorogationem seu delationem solu-
tionis obtinet creditor a debitore suo, morosum habebit.

§. VIII.

Neque multum difficultatis habebit, si prolongatio sic
dicta fiat per modum nouationis. Dabimus thema. Sit
Titius creditor, qui ante sex annos *Pauo CCC* mutuo de-
derat ea conditione solutioni posita, vt post triennium a
tempore accepti mutui computandum, a debitore restituatur
nullis interim promissis vsluris. Elapso hoc triennio,
debitor praestationem solutionis neglit, fitque debitor
morosus. Durat haec mora per integros annos tres.
Elapsis his exigit solutionem creditor, a qua praefanda se
variis excusationibus et precibus eo termino se liberare in-
tendit debitor, atque dilationem vltiorem in annum pe-
tit. Motus creditor precibus atque excusationibus con-
sentit in dilationem, ea tamen lege, vt tanquam de debito
nouiter contracto cambium debitor exhibeat creditori, ita
tamen, vt eo dato prius debitum extinctum censeatur, quae
est nouationis natura, vt nouandi adsit quoque animus.
Paratus est debitor ad cambium scribendum in quo summam
CCC thalerorum exprimit, neque vslurarum mentionem
adiicit.

adiicit. Elapso hoc dilationis anno seu noui debiti soluendi spatio Paulus solutionem CCC offert Titio creditori. Quaeſitum est, an etiam vſuras ex triennio, per quod in mora fuerat ante nouationem creditor exigere possit a ſuo debitore? Neque vero ſoluendas eſſe vſuras ea eſt ratio, quia nouatione prius debitum et cum eo accessoria illa vſuram obligatio extincta eſt. Et ſibi imputet ipſe creditor, quod in nouando debito vſuram rationem non habuerit atque a debitore poſtulauerit, vt vſuras debitas forti imputaret in nouatione per cambium. Hinc vbi cambium acceptauit pure, expoſito tamen in eo nouandi animo, neque vſuram iam contractarum promiſſionem exegit, remiſſe videtur.

§. IX.

Diximus antea, prolongatione facta post termi-
num solutionis praeterlapſum, non purgari moram
iam contractam, ſed vſuras recte deberi, praeceipue ſi
ante prolongationem, vel in ipta prolongatione vſuras fi-
bi ſeruauerit creditor. Neque cauſa debiti quidquam
mutabit, ſed idem in omni debito, vbi ob moram vel
id quod intereſt, vel vſurae exigi poſſunt obſeruabi-
tur. Quapropter nec in cambio aliter ſtauendum.
Hinc ſi ſpeciem illam facti apud SIEGELIVM *In der*
Einleitung zum Wechſel-Recht. pag. 23. n. t. intueris,

B

recte



recte in usuras condemnatus est debitor, non obstante prolongatione. Tempus enim Cambii soluendi erat Festum Michaelis 1734. Debeat ab eo tempore usuras debitor ob moram intermissae solutionis. Anno 1735. die 1. Iun. per indossamentum quod vocant transferebatur in aliam personam cambium ea formula: der Herr beliebe die Summe von instehenden Wechsels-Brief nebst von der Verfallzeit an gefällige Interessen zu bezahlen, an ic. Ipse creditor primus iam hoc ipso indossamento usuras, quas ob moram iure exigere poterat, simul transfert in nouum creditorem. Postea nundinis Paschalibus 1739. prolongatio sit, quae postea repetita nundinis autumnalibus Lipsiensibus eiusdem anni. Iam cum prolongationem impetraret debitor, hac impetrata a nouo creditore, quem indosfatarium vocant, simul agnouit ipsum indossamentum inque eo a creditore ob moram iam postulatas usuras. Rechte ergo sententionantes pronunciauerant: wovon (scil. Usuris) ihm die ohne Vorbehalt derer Interessen angenommene Prolongation des Wechsels nicht liberiren mögen. Verba autem ohne Vorbehalt derer Interessen perspicue ad illum casum spectare videntur, ubi usurae postea remissae, quod expresse in ipsa prolongatione ut notaretur necesse videbatur.

§. X.

§. X.

Ex iis, quae supra dicta sunt, facile patet, de ea specie haec tenus nos intelligendos, vbi ipse debitor ad usuras soluendas obligatus non erat. Quamuis enim debita sint, quod non nego, ex quibus creditoribus usurarum exactio non conceditur, utpote in Buchschulden rückständiger Kauf-Gelder, nisi et in his lex morae terminum definiat, quale quid in Legibus Saxonici scil. DECIS. Elect. de Anno 1746. nouiss. XV. sancitum, vi cuius legis post VI. menses semper mora contracta videtur; tamen adhuc mihi valde dubium est, an etiam in omni mutuo, in quo usurae non promissaes, usurae quoque ante contractam moram exigi nequeant. Evidem plerumque ex lege peregrina applicata adhuc inter gratuita negotia mutuum referunt, non obseruata iuris peregrini ratione, in quo stricti iuris negotiis adnumerabatur; at cum illae solennitates iuris Romani amplius obseruari nequeant, ob mutatum gerendorum negotiorum priuatorum et iudiciorum ordinem, vix in eam opinionem me deduci paterer, vt nisi usurae promissaes, semper gratuitum putarem mutuum. Neque enim nos ex formula stricta liberaliores habebimus homines, quales nunquam ex ipsa lege presumere licebit. Quis enim eum non inter liberales referret, qui usu suorum pecuniarum absque omni emolumento caritatus est, potius consentiat, vt alter ex ea utilitatem percipiat. Et

A 2

quo-



quoties ipsis legibus et rebus iudicatis mutuum negotiis
vsurariis adnumeratur? Vnde ergo causam petamus, ex
qua eum, qui mea vtitur pecunia in sua re familia-
ri, liberemus ab vsuris, quamuis praestandas non
promiserit, nisi ab ipso creditore declaratione inter-
posita remissae sint. Si hoc factum, dubitandi nul-
la supereft caufa, eas post moram deberi. Sed est
mera opinio, quae non omni fundamento, at fori
assensu destituta.

T A N T V M .



S A

Leipzig, Diss., 1764



3

f

TAZOL

nur 31. Stck. Bücher verknüpft

VD18

B.I.G.

Black

19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
0

Centimetres
Inches

Farbkarte #13

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

SPECIMEN
IVRIS CONTROVERSI
QVATENVS
PROLONGATIO DEBITI
MORAM PVRGET
ET LIBERET A PRAESTANDIS VSVRIS
QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG. SOCIO
IN AUDITORIO PETRINO
DIE I. AVGUST. ANNO CICICCLXIV.
DEFENDET
CAROLVS GOTTHELF FISCHER
RVHLAND. LVSAT.
LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

1764, 11.

